
+8



ORATIO DOCTISSIMA ET GRAVISSIMA, A REVERENDO in Christo Patre GVILIELMO OVERTONO Lichfieldiensi Episcopo habita, in domo ibidem Capitulari, ad Præbendarios, & *reliquum Clerum in Visitatione Ecclesiæ suæ Cathedralis congregatum, Ann. Dom.* 1600.



OXONIÆ,

Excudebat Iosephus Barnesius. 1601.


REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC Domino, Domino WILIELMO Coventrensi & Lichfeldiensi Episcopo; vester humilis & devotus, ZACHARIAS BABINGTON. LL. Doctor, Vicarius vester in spiritua ibus generalis; omnimodam reverentiam vestræ paternitati debitam cum honore.



Vnus tibi offerre, Reverende Domine, quod tuum sit atq; proprium, quodq; sine cuiusquã iniuria, tuo quasi iure vendicare posse videaris; neq; laudem profectò vllam, neq; gratiam promeretur. Tuum autem quod sit, non obtulisse tibi, sed vel apud se clanculum habuisse, vel aliò impiè avertisse; animi planè ingrati fuisset, & malè sibi conscij, præsertim in homine, tantum cuiquam debere sese, quantum ego me tibi debere profiteor, profitente. Quod ergo tuum est, (Reverende præsul,) quodq; mihi donatum est, non abs te certè, (neq; tamen à quo donatum, mihi ius fasq; nunc effari) volens libensq; hic ad arã tuam statuo: non ea quidem vilitate & squalore, quo clanculum per manus perreptavit perpaucorum; sed pulchriore certè habitu & charactere, quo & te nunc primum adire audet, & publico omnium aspectui, (modo tu ne indigneris,) seipsum sistere non verebitur. Quod si Dominationi tuæ subierit admirari, qua ego confidentia fretus, hunc tuum sermonem, te non consulto priùs, publicarim; has accipe paucis, iustissimas, meo quidem iudicio, spero etiam tuo, præsumptionis meæ rationes. Primùm concio ista tua, vt erat ornatissimè & gravissimè à tua Dominatione pronunciata; ita generatim omnes, in summum sui desiderium & admirationem pellexit. Deinde multò maxima pars Præbendariorum, quorum maximè intererat, hanc tuam orationem audivisse, aberat

tunc quidem ab ecclesia; vt nullus plane gravissimorum consiliorũ tuorum fructus ad eos potuerit pervenire, si vel ignorata penitus, vel offusa tenebris latuissent. Adde quod crebris imperitorum amanuensium transcriptionibus corrupta & vitiata, quantò sæpius de manu ad manum transiissent; tantò magis magisq; vulnerata, nativum illum ornatum, & splendorem, quem ab arte tua acceperunt, amisissent. Deniq; calumniatores illi tui, siqui sunt, (& quotusquisq; est, cui hoc genus non abundè suppetat) habebunt ex hoc scripto, & quod in tua Dignitate admirari possint, cum actionnm tuarum rationes, & doctrinæ integritatem perspexerint; & quod damnare in semetipsis & odisse debeant, quòd tam intemperanter & malevolè linguis suis ad maledicentiam abusi fuerint: desinentq; fortasse deinceps maledicere. Sed vtcunq; illi non desistent, (vt est certè hoc genus prorsus importunum & implacabile) erit tamen sermo sic tuus, tum propter materiæ gravitatem, tum propter rationum momenta, & orationis puritatem, omnibus Ecclesiasticis, totiq; adeò Ecclesiasticæ politiæ, nobile imprimis exemplar, & illustrissimum documentum. Faxit Deus. Opt. Max. pro immensa sua bonitate, vt & vita tibi in longum prorogetur, & gratiæ spirituales magis magisq; indies augeantur, ad nominis sui gloriam, & ecclesiæ huius emolumentum, in qua te Deus pastorem gregis sui, & Episcopum vigilantissimum ordinavit.

Vestræ Reverentiæ devotissimus,
ZACHARIAS BABINGTON.





ALcinoo dare poma licet? licet addere pomis
Poma; licet Floræ mittere serta? licet.
Si licet: & per te liceat (Dignissime) libro
Adijcere hæc saltem carmina nostra tuo.
Carmina, si pondus spectes, leviuscula: si vim,
Sunt humilis venæ signa minuta meæ.
Nec tamen inde minor tibi crescit laudis acervus,
Quam si Mæonidis carmina culta forent.
Nam nigra dum mea sunt, tua candidiora videntur,
Tuq; meis addis versibus omne decus.

Tuæ Dominationi multis nominibus deditissimus. Guil. Babington.





ORATIO DOCTISSIMA ET GRAVISSIMA

à reverendo in Christo Patre GVILIELMO [redacted] *Lichfeldiensi Episcopo habita, in domo ibidem Capitulari, ad Præbendarios, & reliquum Clerum in visitatione Ecclesiæ suæ Cathedralis congregatum, Anno Dom.* 1600.



ETSI pro mutua illa inter nos antehàc sancita compositione, veteriq; illo & celebri huius Ecclesiæ visitandæ ritu atq; ratione, mihi iam à Dei verbo exordiendum sit, (fratres in Christo charissimi) priusquàm tamen aggrediar quicquam ex sacris literis proferre, par esse censeo, & pręsenti caussæ perquàm necessarium, vt diuinum auxilium imploremus, precemurq; illum omnium bonarum gratiarum atq; donorum largitorem, Deum optimum maximum, vt & mihi, & vobis spiritum suum hoc tempore impertiatur, mihi, vt ad dicendum; vobis, vt ad audiendum; vtrisq; nostrum, & mihi & vobis, vt ad fructum aliquem ferendum ex seminato eius verbo attentioribus animis compositi, atq; comparati simus. Oremus itaq; Deum patrem consuetâ illâ, & præscriptâ orandi formulâ, ad filij sui tum institutionem, tum imitationem, dicamusq; vt ipse nos docuit.

Pater noster qui es in cælis, &c.

Vicesimo capite Actuum Apostolorum versu vicesimo octauo, & vicesimo nono in hunc modum scribitur.

28 *Attendite vobisipsis, & toti gregi, cui præfecit vos Spiritus Sanctus, & pascite ecclesiam Dei, quam sanguine suo redemit.*
29 *Ego enim scio hoc, quòd post discessum meum ingressuri sunt ad vos Lupi graves, non parcentes gregi.*



VM & Deo gratum sit, & vobis honestum, & huic ecclesię commodum, & toti humano generi necessarium: immò cùm nihil gratius, nihil honestius, nihil commodius, nihil magis necessarium vel Deo, vel vobis, vel isti ecclesię, vel cuivis homini esse possit, quàm bonarum legum latio, & benè latarum observatio, quorum vtrumq; (si coniungantur & concurrant) mirum in modum faciunt ad Dei gloriam, & ecclesiæ eius ædificationem; certè & vos, fratres mei, si vobis, aut rationibus vestris benè consultum velitis, id inprimìs curare debetis, vt leges & iura quæ omnium rerum tam publicarum quàm privatarum nervi & firmamenta sunt, quibus etiam hanc vestram Capitularem, & hanc nostram Cathedralem ecclesiam, ornare, gubernare, conseruare, atque amplificare oportet, nunc demùm sapienter condere, condita diligenter exequi, & explere cogitetis, cupiatis, collaboretis. Scio vos leges habere, & Statuta, & Ordinationes; at ista quàm solida nescio, sed sint illa quidem optima, & solidissima, interim quàm benè, & quàm solidè à vobis obseruentur & prestentur, vestrúm ipsorum sit iudicium. Profectò optimè instituta, pessimè verò obseruata, vel potiùs omninò neglecta, & conculcata nullius sunt ponderis aut momenti, & leges etiamsi saluberimę, si desit praxis & vsus, quasi nullæ habendæ sunt, non quia legi-

legibus non potimur, sed quia vel non vtimur, vel abutimur ijs ipsis legibus. Rectè ille dicebat: *Vbi nullus ordo, ibi sempiternus horror & confusio.* Si igitur leges, si statuta, si ordinationes (quibus potimini) aut non satis multæ, aut non satis rectæ, aut non satis idoneæ, pro statu & conditione loci, & temporis habeantur, (loquor de priuatis huius ecclesiæ constitutionibus) addite, corrigite, commutate. At si nullo istorum opus est, si omnia benè provisa sunt, si omnia satis rectè ordinata, quæso iam (fratres) quæ ordinata sunt, facite, præstate, perficite, atque id quidem seriò, (vt decet) non oscitanter, non negligenter. Hanc ego ob causam hùc accessi, hunc ego in finem hanc portiunculam scripturæ (quam audivistis) vobis proponendam, & mihi hoc tempore pertractandā suscepi. Vos arrigite aures vestras, & quæ dicturus sum, æquo animo accipite, & amplectimini.

Textus à me citatus simplex est, vnus idemq; & verbis, & argumento; nihil in se continens ardui, aut ambigui; diuidi tamen potest in tres partes: prima; est admonitio, *Attendite vobisipsis, & toti gregi*: secunda; est ratio admonitionis, *quia Spiritus Sanctus vobis huius gregis curam commisit*: tertia; est fructus & vtilitas quæ ad nos omnes manabit, si officium nostrum in hac cura administranda benè & fideliter expleverimus: vitam & salutem consequemur in hoc seculo, & in seculo futuro æternam fœlicitatem. De his tribus agam ordine, & breviter.

Attendite vobisipsis.) Mirum videri possit quid adduxerit Apostolū vt iuberet ecclesiam Ephesinā sibiipsis attendere, acsi nullam sui curā habuissent. Si quis alloqueretur vos Lichfildienses, & huic ecclesiæ vestrę Lichfildiensi diceret, *Attēdite vobisipsis*; frustrà id locutus videretur. Nemini enim dubiū, quin vnusquisq; ad rē suā satis attētus sit, vtinā nō nimis. Arbitror itaq; Apostolū his verbis monere ecclesiā Ephesinā, præcipuè verò eos qui

 eius

eius ecclesię erant Præpoſiti & Presbyteri, vt caverent ſibi, a grandi illo periculo quod ipſis impendebat propter nimiam ſui curam, contemptum verò & neglectũ curæ ſibi a ſpiritu ſancto commiſſæ. Id ex proximo verbo luculentiùs apparet Nominat enim gregem illis commiſſum, *attendite* (inquit) *vobiſipſis, & toti gregi*. Quaſi diceret illis Apoſtolus: Ego nõ ita multùm curo, voſmetipſos curetis necne; (omnes enim ad ſibi fauẽdum, & indulgẽdum ſatis ſuperq; parati ſunt,) ſed grex vobis commiſſus, grex vobis a ſpiritu ſancto cõmendatus eſt, & concreditus. Attendite itaq; vobis, & attendite gregi veſtro: attendite vobis; vt paſcatis, vt regatis, vt conſervetis gregem: attendite gregi; vt ſeriò à vobis, accuratéq; paſcatur, regatur, conſeruetur: Attendite vobis; ne incurratis in grauem & implacabilem Dei iram, propter neglectum gregis eius: attendite gregi; ne veſtrâ incuriâ & negligẽtiâ, collabatur, corruat, cõtabeſcat. De veſtris enim manibus requiretur eius ſanguis, ſi veſtrâ culpâ perierit. Hæc mihi videtur ſententia eſſe animi Apoſtolici hoc loco, hic ſenſus, hic ſcopus verborũ eius ad Presbyteros illos Epheſinos, nempe vt attendant *ſibi*, & gregi *ſuo*: ſibi autem maximè propter gregem *ſuum*, ne accerſant ſibiipſis iudicium Dei non ſeruando, aut nõ curando gregem ſuæ fidei commiſſum & commendatũ. *Attendite* (inquit) *vobis, & gregi veſtro*, & non ſolũ gregi, *ſed toti gregi veſtro*: ita enim habent verba Apoſtoli, *attendite vobiſipſis & toti gregi*. Nullam vult gregis Dominici partẽ à Præpoſitis ſuis non caveri, non curari, non cuſtodiri incolumem. Totam eccleſiam Epheſinam vult integram eſſe, & immunem ab omni malo, & ab omni periculo quod illis vllo modo imminere poſſit.

Iam quod dixerat Apoſtolus Eccleſię Epheſinę, idem & vobis Lichfildienſibus, & huic eccleſiæ veſtræ Lichfildienſi dictũ eſſe exiſtimandum eſt. Attendite itaq; vobis, (vos Lichfildienſes) Præpoſiti, & attendite eccleſiæ veſtræ: attendite vobis vt benè præſitis eccleſiæ, atq; vt adſitis illi omni bono cõſilio, & auxilio: atten-

attendite eccleſię, vt bonis veſtris conſilijs, atq; auxilijs ſuffulta, & ſuſtentata, valeat, & floreat, ſaltem ne illis deſtituta iaceat, langueſcat, pereat, peſſundetur. Sapienter enim Solomon; *Vbi nullus gubernator, corruit populus: Salus autem, vbi multa* Pro.11 *conſilia*. Videte (quæſo, fratres mei) labefactatum eccleſiæ veſtræ ſtatum, aſpicite lamentabilem eius faciem, & vultum deplorandum. Dicite mihi (niſi fortè malueritis ad mala veſtra conniuere) quid cernitis in tota hac eccleſia veſtra, in toto hoc corpore veſtro, quid cernitis niſi vlcera, niſi vulnera, niſi maculas, niſi mutilationes, dixeram ferè interitus, & ruinas? Quid enim? an non omni ex parte erratur? peccatur? diffluitur? laſciuitur? luxuriatur? an non omnes deuiârunt, deflexerunt, exorbitârunt, à via recta, & à via regia? quid ferè malorum non conſpicitur, quid ferè vitiorum non viget, non floret, non primas obtinet partes in hac veſtra Capitulari, in hac noſtra Cathedrali eccleſia? Diſtrahor animo, & toto corpore contremiſco, quoties cogito de multiplicibus illis malis, de vitijs, de peſtibus illis innumerabilibus, quę inciderunt in hæc noſtra tempora; quæq; in hoc loco, in hiſce veſtris ſedibus infra hæc veſtra mænia, infra hunc ambitum eccleſiæ veſtræ, non iam oriturae, aut naſciturae, ſed ortæ, ſed natæ, ſed grandiores factæ, & iam indiès grandeſcere, & in grandem quendam cumulum quaſi coacervatæ & coaggeratæ eſſe videntur. Quid grauius, quid funeſtius, quid calamitoſius dici, aut commemorari poteſt? ſtupra, commeſſationes, ebrietas, otium, luxuria, obſcœnitas, turpitudo, iræ, diſſidia, pugnæ, procacitas, audacia, malicia, doli, periuria, perfidia, pertinacia, contemptus Statutorum, violatio legum, & ordinationum eccleſiæ, atq; alia id genus infinita, hæc omnia prædominantur, & quaſi palmam præripuerunt omni pietati, atq; honeſtati, nec vllus ferè locus relinquitur ſincero Dei cultui, precibus, ieiunijs, vigilijs, laboribus, zelo domus Dei, ſtudio ſacrarum literarum,

prædi-

prædicationi evangelicæ, fidei, charitati, castitati, humilitati, benignitati, veritati, iusticiæ, prudentiæ, temperantię, verecundiæ, nec vllis ferè virtutibus, aut divinis exercitijs quibus animos vestros ad veram pietatem, & honestatem colendam, erudire atq; informare deberetis. Vereor ne invaserit hanc nostrā Cathedralem ecclesiam Insipiens ille, de quo Propheta: *Dixit*
Psal.14.1. *insipiens in corde suo, Non est Deus.*

Atq; vnde hæc omnia, nisi quod ij qui sedent ad gubernacula ecclesiæ nec continent se, nec cohibent alios; nec moderantur sibi, nec fræna inijciunt suis; sed faciunt omnibus facultatem & potestatem audendi, & faciendi omnia? quo, quid potest esse pestilentius? *Licentiâ,* (inquit Poeta) *omnes sumus deteriores*: At laxare habenas, quo liberè cuiq; liceat quod libet, deterrimum est, incenditq; animos ad peccandum sine modo, sine intermissione. Non enim viuendi licentia, quæ legibus frænatur; sed peccandi impunitas, quę violat omnes leges; & magistratuum indulgentia, quæ laxat frœnum peccantibus, faciunt, vt nullus sit peccandi vel modus, vel finis. Quare legibus tanquam frœnis coercendi sunt homines libidinosi, ne in sese ruant, & in alios. Quemadmodum enim ora iumentorum quæ ratione carent, ita & libidines pessimorum hominum ratione abutentium quasi chamis, & frœnis constringere oportet, iuxta illud Davi-
Psal:32 9. dis: *Nolite esse sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus, quorum maxillæ, chamo & fræno constringuntur.* Id autem efficitur prudenti legum latione, & diligenti legum executione, cui rei vos qui præestis ecclesiæ, omninò deestis, atq; ita deestis, vt nisi huic malo remedium citiùs adhibeatur, perpetuò vos defuturos esse suspicandum sit. Quid enim aliud expectare, aut sperare vel possumus, vel debemus? Nemo ferè domi manet, vt curet res domesticas, nemo ferè habitat ecclesiam, vt res ecclesiæ administret: sed alij hìc, alij illìc, alij Londini, alij Walliæ, alij Lecestriæ, alij in alijs locis, omnes deniq; aut absunt, aut abeunt,

eunt, omneſq; deſertâ curâ, deſertis domibus, deſertâ eccleſiâ, conſulunt ſibi, &, neſcio quo animo, neſcio quo ſpiritu, non quę eccleſiæ ſunt, non quæ aliorum, ſed quæ ſua ſunt, curant, quærunt, conſectantur. An ita abeſſe fas eſt? an ita factitare licet? Id vnum à vobis interrogauerim, ſi caput ab ſit corpori, ſi humeri, ſi brachia, ſi pectus, ſi manus, ſi pedes, ſi hæc omnia abſint, ſi cor ipſum abſit, & omnes cordati, quid reliquum erit corporis, aut quid de tali corpore dicemus? certè omnia ruant, omnia peſſum eant, omnia ſurſum deorſum ferantur, omnia confundantur, omnia ſubuertantur neceſſe eſt. Dico hæc, fratres, non ſine magno animi mei dolore, non ſine ſuſpirijs, non ſine gemitibus, vix etiam ſine lacrimis. Atque vtinam hæc falsò dicerem, vtinam tales non eſſetis quales habemini, ſed dico verius quàm vellem, facti eſtis ſpectaculum mundo, facti eſtis ridiculum homnibus, facti eſtis ſcandalum eccleſiæ, & quod maximè omnium declinandum erat (proh dolor, proh pudor) facti eſtis fabula vulgi. Quapropter vt finem huic parti orationis meæ tandem aliquando imponam; audite (quæſo) Apoſtolum hoc loco monentem vos, & dicentem, *Attendite vobis, & attendite gregi veſtro*; attendite vobis, & attendite eccleſiæ veſtræ; vobis autem propter gregem veſtrum, & propter eccleſiam veſtram: Siquidem incipiendum erit à vobiſipſis, non tamen veſtri cauſa ſed eccleſiæ cauſa, vt conſequens fructus non ſit veſter, ſed eccleſiæ veſtræ, & totius eccleſiæ veſtræ. Non enim præeſtis eccleſiæ, vt vobis propoſitis, ſed eccleſiæ: nec eminetis alijs, vt veſtri curam agatis, ſed aliorum. Attendite itaque (fratres mei) attendite, quæſo, vobiſipſis, vt per vos benè ſit eccleſiæ veſtræ. Alioqui nec Apoſtolum auditis, nec vobiſipſis attenditis, aut ſaltem non ita attenditis vt par eſſet vobis, & vt viros bonos decet: quanquam nec id ſatis erit fuiſſe *viros bonos*, & *magiſtratus malos*. Hæc de admonitione Apoſtolica.

Nunc venio ad huius admonitionis rationem. *Attendite vobisipsis & toti gregi cui præfecit vos Spiritus Sanctus, & pascite ecclesiam Dei, quam sanguine suo redemit.* Duę hìc rationes afferuntur, cur oporteat vos attendere gregi vestro, & ecclesiæ vestræ. Primùm, quia *spiritus sanctus vos huic gregi præfecit*; *Attendite* (inquit) *toti gregi cui præfecit vos spiritus sanctus*: Deinde quia Deus id est Christus Dei filius vnus ideq; cũ patre Deus, hanc ecclesiam *suo sanguine redemit*: *& pascite* (inquit) *ecclesiam Dei quam sanguine suo redemit*. Duo profectò fortissima argumenta, duæ firmissimæ rationes. Oportet attẽdere gregi: Quare? quia spiritus sanctus vobis huius gregis curam commisit. Oportet pascere ecclesiã Dei: quare? quia Christus Dei filius suo sanguine hanc eandẽ ecclesiam sibi acquisiuit. Acsi ita dixisset vobis Apostolus, non homines vos delegarunt ad hoc munus vestrũ obeundũ, aut ad hãc ecclesię vestrę curã peragẽdã, sed spiritus sanctus: non homines corruptibili auro, & argẽto vobis hanc ecclesiã vestrã cõpararunt, aut acquisierũt, sed Christus sua morte, suo sanguine eã non vobis, sed sibiipsi cõparauit & acquisivit Si igitur spiritus sanctus delegauit vos, attẽdite eius delegationi: si Christus hanc vestrã ecclesiã suo sanguine redemit, vos pascite eandẽ ecclesiã vestrã, & diligenter illic advigilate. Cõmissio enim & delegatio Spiritus sancti, nõ est aspernanda: crux Christi, sanguis Christi, non est conculcandus, aut nihili faciendus. Cogitate itaq; vobiscũ quid negotij iã habetis, cogitate quo prætio redẽpta sit hæc vestra ecclesia, spiritus sancti negotium est, nolite facere opus spiritus sancti negligenter: Christi sanguinis prætium est, nolite conculcare eius sanguinẽ; nolite reddere crucẽ eius irritã & inanẽ: nõ enim id impunè feretis. ~~Dicetis~~ videtis iam, fratres, vim argumentorum Apostoli: videtis quàm strictis, & quàm validis, rationibus agat, vobiscũ: videtis quàm seriò, quàm vehementer, quàm emphaticè hortetur vos, vt attendatis huic gregi vestro, & huic ecclesiæ vestræ Lichfildiensi, nimirùm, quia spiritus sanctus vos ei prçfecit, quia Christus

ſtus ſuo ſanguine eam redemit.

Sed,dicet aliquis,Elizabetha nos præfecit huic eccleſiæ; verum quidem dicitis,at non totũ dicitis.Elizabetha prçfecit vos, ſed quis præfecit Elizabetham? nonne Deus?Nemo negaverit. Deus itaq; præfecit,& Elizabetha præfecit,ille illam vobis, illa vos per illũ huic eccleſiæ. Sed ſit Deus,ſit Elizabetha,quid hoc facit ad vos excuſandos,ſi in vocatione veſtra,nec Deo , nec Elizabethç reſpondetis.Vterq; eorũ præfecit vos huic eccleſię,& Deus,& Elizabetha : vos interim perfungimini officijs veſtris, continete vos in vocatione veſtra, & in hoc munere obeundo, quod vobis à Spiritu ſancto, commiſſum eſt,& tam vnicè commendatum :agite partes veſtras diligentèr, & in agẽdo pergite, & in pergendo perſiſtite,& in perſiſtendo , ad finẽ vſq; perſeverate : ita laudẽ feretis,tũ à Regina Elizabetha, tum à Deo ipſo, omnium Regum Rege,& prædominatore.

Sed cum attendendũ ſit gregi,& paſcenda ſit eccleſia, (quomodo autẽ gregi attendendũ ſit prius expoſuerimus)videamus nunc quomodo eccleſia quoq; paſcenda ſit : eccleſia (inquam) Dei,quæ vos eſtis , aut eſſe debetis, nec dubitò etiã quin lubentiſſimè eſſe velitis. Tritum eſt illud ter repetitum *Paſce* , apud Iohannẽ,*paſce,paſce,paſce,paſce agnos meos ;paſce oves meas*, Ioan 16.1
paſce oves meas. Ter repetitur il ud *Paſce*, non quia ter paſcẽda ſit eccleſia Dei, atq; ita deſiſtendum à paſcendo, ſed quia tripliciter eam paſcere oportet. Trina enim illa,*paſce* repetitio,non tria tantùm *tempora*,aut tres tantùm *vices* , ſed triplicem *modũ* paſcendi ſignificat , niſi forte velitis tropicè hic poni numerum finitũ,pro infinito,quod apud ſcriptores vſitatũ eſt . Sed *modus* hìc denotatur,non *tempus*. Tres itaq; paſcendi rationes , voluit nobis innuere Seruator noſter cum ter , Simoni Petro ſuum illud *paſce*,recenſeret.Primùm,vt verbo : deindè,vt pane;tertiò, vt exemplo:verbo autẽ,vt animas; pane, vt corpora ; exemplo, vt mores hominum , vitæq; integritatem paſceremus , aleremus,informaremus.

Iam quoad animas quomodo ecclesiam Dei, verbo Dei paveritis, vosmetipsos optimè nosse oportet, cum vestri ipsorũ sit officij,& muneris id efficere. Vereor profectò ne satis frigidè, si non nimis parcè id à vobis præstitum sit, atq; peractum. Forsitan Diebus Dominicis, sermo apud populũ publicè & pro concione habetur, in ecclesia illa nostra Cathedrali (quanquam nec idquoq; facitis ad pręscriptam Canonũ & Iniunctionũ regulã) sed in priuatis vestris ædibus, in priuatis vestris Capitulis, atq; in hac Domo vestra capitulari, vbi id maximè fieri oporteret, si rem ad viuum vsq; resecare voluerimus, videbimus magnopere à vobis ea in re erratum, peccatumq; & esse,& fuisse, cum reverà non raro sed hebdomatim vt id fiat,& sæpius etiã (si fieri possit) ecclesiæ vestræ status, & conditio postulet. *Subditos* enim vestros, & omnes ecclesiæ vestræ ministros priuatis vestris sermonibus, priuatisq; exhortationibus instruendos esse atque informandos nemo ignorat. Alioqui [redacted]nec Deo obedientes, nec vobis obsequentes ~~inuenientis~~ habebitis. Eaq; de causa vt sæpissimè verbo Dei pascantur necesse est, tum priuatim tũ publicè. Atq; hæc de animæ pabulo.

Nunc quod ad corpus attinet, quomodo ecclesiam Dei corporaliter famelicam,& corporalem panem vestrum esurientem huc vsque foueritis, aut fouere curaueritis, ego nihil dicam, alij dicant, qui liberalitatem vestram, & hospitalitatem magis & melius experti sunt. Hoc dico, oportere omnes esse hospitales, etiamsi vix duos ex omnibus hospitalitatis encomio insignitos inueniam. Et quomodo hoc conuenit (quæso) cum il-
7. lo Dei mandato, per Prophetam, *Frange panem tuum esurienti*. Sed, dicetis, pauperes sumus; cur igitur Residensiarij? non oportet Residensiarios pauperes esse, sed vtcumq; diuites, & ad pauperum necessitatem sustentandam, atq; subleuandam, abundè satis instructos,& paratos. Aut igitur cedite alijs qui possunt & volunt panem & pecuniã suam pauperibus erogare, aut discedite à Residentia vestra, nec Residensiariorum nomine, & titulo

titulo diutiùs abutimini, quandoquidem oportet Resideñtiariū professorem esse hospitalitatis, ipsaq; hospitalitas vnus sit, etiāsi non vltimus finis Residentiæ vestræ. Date (quæso) veniam, fratres mei, si hanc pascendi rationem vehementiùs vrgeo quam velitis. Magno enim dedecori erit ecclesiæ vestræ, si in hac parsimonia vestra, non dicam auaritiâ, aut cordis duritiâ, longiùs obtorpueritis. At illud interim laudo apud vos, quòd vnum tamen ex omnibus nescio quàm diuitem, certè satis instructum, satisque promptum & paratum ad pauperes reficiendos in hac vestra ecclesia habeatis. Non nomino hominem modestiæ gratiâ, sed vos illum (vt par est) amplexemini, cùm & vos, & ecclesiam vestram hâc infamiæ notâ, quantùm potest, liberet, atque indiès magis magisque liberare studeat: nec invidete illi hanc suam beneficentiam, sed eam potiùs tanquam exemplar vobis ad imitandum proponite. Atque hæc de corporis alimento.

Nunc veniamus ad tertiam pascendi rationem, quæ in vitæ morumq; exemplo consistit. Verbo enim animas, pane corpora, at exemplo mores hominum, hominesq; ipsos, ad benè rectèque viuendi rationem, & ad vitam æternam consequendam, alimus, nutrimus, cōformamus, componimus. Et nisi duo illa cum hoc tertio coniungantur, nisi verbum & panis cum vitę exemplo concurrant, frustrà vel animas, vel corpora ouium Christi pascimus. Nihil enim aliud faciemus, quàm si vnâ manu extruere ecclesiam, alterâ vero destruere; dextrâ ædificare, & sinistrâ deijcere, & demoliri conaremur. Quamobrem tria illa, verbum, panem, & exemplum, vno quasi vinculo colligare vos oportet, & concatenare, si frugi & prudentes domus Dei Architecti esse volueritis. Sed redeamus ad propositum. Ecclesia Dei exemplo pascenda est, idque à vobis hoc loco requiritur, *Pascite (inquit) ecclesiam Dei, quam sanguine suo redemit*. At vos iam (fratres mei) quantùm vocationi vestræ in hoc officij genere defueritis, & desitis,

ipsi vobiscũ,quæso,perpendite.Nũquid certatim concurritis ad hoc pascẽdi genus?nũquid exempli alij,alijs prævenire cupitis, aut curatis?an præit reliquis, is qui præest reliquis?an nõ potiùs tardior est omnibus tũ ad præcedendũ,tũ ad subsequẽdũ in omni pietatis cursu, omniq; optimarũ virtutũ exemplo,atq; exercitatione?Equidẽ optarẽ ego,& non solũ optarẽ,sed puto etiam omni rationi cõsentaneũ esse,vt primus,in primo; secundus, in secundo,tertius,in tertio loco,atq; ita singuli alij, in singulis suis locis,prudenter se cõtineant,laudabiliterq; se gerant;tãtùm abest vt primi postremis, vel dignitatis loco, vel meriti dignitate propter immerita sua se postponẽdos esse commonstraturi sint. Laudabile est ad summa contendentẽ in medijs consistere,sed à sũmis delabi ad infima,& vix etiã in infimis cõsistere,turpe est, summâq; vituperatione dignũ.Nõ libet mihi (fratres mei) sigillatim enumerare singula,nec ad vnũ aliquẽ vestrũ,sed vniversim ad vos omnes orationẽ meã cõvertere.Id igitur vnũ pariter omnibus dico, vt quisq; prior est loco, & dignitate, ita & reliquis omnibus vitę cãdore,& exempli splẽdore,prælucere debet.Sed quis reliquis prælucere cogitat in vllo officij genere,vel erga Deũ vel erga homines?quis precãdo,quis ieiunando, quis vigilando, quis laborãdo,quis studendo,quis prędicãdo,quis colendo Deũ, quis diligendo fratres,quis pacẽ alendo, quis lites componẽdo, quis vitia corrigẽdo,& reprimẽdo,quis fide,quis cõstantia,quis veritate,quis iusticia,quis prudentia,quis tẽperantia, quis obedientia,quis statuta ecclesię observando,quis iuramentũ ecclesiæ prę stitũ persoluendo,quis collapsum ecclesię statũ restaurãdo,aut restituendo,quis opes & bona ecclesię colligẽdo,aut custodiendo,quis ecclesię honorẽ & dignitatẽ tuendo, atq; amplificando,quis ecclesię cõmoda suis cõmodis pręferendo,quis vllo (in quã) officij genere,vel erga Deũ,vel erga homines,quis vllo vel pietatis,vel honestatis exemplo, reliquis anteire,aut antecellere,vel curat,vel cogitat?Profectò,vix quisquã vnus ex omnibus,sed omni ferè ex parte,erratur,omni ferè ex parte deficitur.

tur. Et quæ tandē causa est huius tanti erroris & defectus? certè neminē habetis ducē, neminē qui præeat, neminē qui præfringat, & prærūpat glaciem reliquis. Vos præite qui pręestis, alij sine dubio sequentur, aut si nolunt, vi statutorū vestrorū trahite, cogite, impellite. Habetis statuta (vt loquimini) localia, habetis ius cōmune, habetis Iniunctiones regias, habetis Canones ecclesiasticos, regię Maiestatis Sigillo magno confirmatos, & corroboratos; habetis Ius divinum, habetis deniq; omnia Iura, omnesq; leges tū divinas, tū humanas, quibus reluctantes, aut recusantes possitis cōpellere, si velitis: vos tantùm vtimini authoritate vestrâ, & quâ licet in exequēdo potestate; omnia optimè succedent. Tenetis iā, opinor (fratres mei) triplicē istū pascendi modū: tenetis quomodo oporteat vos ecclesiā Dei trifariā pascere, verbo, pane, & exemplo: verbo, vt animas; pane, vt corpora; exemplo, vt mores, vitasq; subditorū vestrorū ad Dei gloriā, & ecclesiæ eius ædificationem alatis atq; enutriatis. Atq; hæc de Apostolicæ admonitionis ratione dicta sint.

Nunc reliquū est vt de fructu, & vtilitate dicā, quæ ad vos omnes redibit, si in hac cura vestra administrāda, si in pascendo ecclesiā Dei, si in advigilando gregi Christi sedulos vos & diligentes exhibueritis. Sed audiamus verba Apostoli; *Ego enim scio hoc quod post discessum meū ingressuri sint ad vos lupi graves, nō parcentes gregi.* His verbis docet vos Apostolus, quid boni, quid fructus, quid emolumenti, percepturi sitis, si attenderitis gregi vestro, si paveritis ecclesiā Dei, si verbo, si pane, si exemplo eā, quâ decet fide, & diligentiâ, cibaveritis, atq; nutriveritis: scilicet, id fructus ex eo consequemini; canes, vulpes, lupos, aliasq; feras & noxias bestias ab ecclesia Dei, ab ovili Christi, arcebitis, fugabitis, abigetis: quo, quid potest vobis & gregi vestro, melius esse, aut optabilius? *Ego* (inquit) *scio, quòd post discessum meū ingressuri sunt ad vos Lupi graves, non parcentes gregi.* Acsi ita dixisset Paulus ecclesię suę Ephesinæ; Ego quādiu maneo vobiscū quādiu attendo vobis, quādiu pasco vos, & ecclesiā vestrā, Dei verbo,

bo,& vitę exemplo,tãdiù scio me perterrefacturum esse omnes immanes belluas, longissiméq; eas ab ecclesia vestra propulsaturũ,ne ad vos rapiendos,& spoliandos ingrediãtur,sed post discessum meũ,hoc est,postquàm mihi liberũ non erit, diutiùs hìc apud vos permanere,sed aliò abeundũ est, ad aliasq; exteras nationes peragrandũ(*debitor enim sum Græcis,debitor sũ Romanis,*
1.14 *debitor sum omnibus gentibus,* omniũq; gentiũ sum Apostolus) tũc certũ est mihi,ingressuros esse ad vos lupos illos graues,qui nõ parcent vobis,aut gregi vestro:alioqui,si mihi fas esset continuò hìc apud vos residere,scio,multò aliter se re haberet,nec ita violenter afferrent manus vobis truculenti isti lupi, truculẽtæ istæ belluæ. Hic est sensus verborum Apostoli hoc loco.

Ex his itaq; Apostoli verbis,facilè intelligitur,quàm tutũ sit, quàm vtile,quàm frugiferũ ecclesię christianæ,(cuius vos pars aliqua estis)fidos pastores,Præpositosq;,& Pręsbyteros prudẽtes & peruigilantes habere,qui & gregẽ suũ, & seipsos saluos,& incolumes seruare possint, & velint,ab omni inuasione atq; irruptione istiusmodi canũ, vulpiũ,luporum,aliarũq; ferarum,& noxiarũ bestiarũ,quę gregi Christi nullo modo parcere volunt, sed dispergere potiùs,& dissipare eũ,immò dilaniare,& devorare,quãtùm poterũt,molientur. Sed dicetis:nos huiusmodi noxias bestias apud nos nullas habemus,nec canes,nec vulpes, nec lupos,nec vlla alia id genus animalia rapacia, & voracia, nulla huiusmodi habemus apud nos in hac nostra ecclesia. Benè id quidẽ dicitis,si verè id dicitis,atq; vtinã ita sit, sed alliter esse potest vobis nescientibus.Lupi enim violenti,sed vulpes fraudulẽtæ sunt,& possunt vos decipere,& volunt vos decipere,nisi optimè caueritis.Fatebimur Lupũ nullũ, at vulpẽ fortassis aliquẽ habetis hìc apud vos, qui hanc ecclesiã vestrã, aut aliquam eius partẽ,etsi non vi,fraude tamen spoliaturus sit. Et quid si hæreticus aliquis,aut hęreticę prauitati nimiùm addictus,& adhęrens in hac vestra ecclesia delitescat,qui nõ aperto marte, sed subdolis suis susurris,atq; incantationibus, vos, aut aliquẽ vestrûm sit aggres-

aggressurus, aut non id putatis in magnum ecclesiæ vestræ dã-nũ, aut saltẽ periculum cessurum esse? certè verendum est. Sed sint nulli huiusmodi canes, sint nulli huiusmodi vulpes apud vos, et sit nullus huiusmodi Lupus visibilis, et apertus, quem nondũ formidatis, quia nondum fortasse novistis: est tamen apud vos, et apud omnes ecclesias Christi, et Lupus, et Leo, quam maximè horrendus, et formidandus, Lupus ille rapax, Leo ille rugiens, de quo vos monet Petrus, *Estote* (inquit) *sobrij, et vigilate; adversarius vester Diabolus, quasi Leo rugiens obambulat, quærens quem devoret*. Et hic est seminator ille nequam, de quo Christus etiam vos monet, apud Metthæum, *qui dormientibus hominibus virulentissima* sua semina, tum vitiorum, tum errorum, non in aures vestras, sed in corda vestra sparsurus sit: vitiorũ, vt mores, vitãq; vestram corrumpere; errorum, vt inficere animas vestras, denuq; debilitare possit. Cavete vobis, et ecclesiæ vestræ ab isto Lupo rapace, ab isto Leone rugiente, ab isto seminatore nequissimo. Atqui hæc omnia mala vnà cum ipso malorum authore, facilimè propelluntur, et profligantur, si vos gregi uestro sobrie et diligenter attenderitis, si vos ecclesiæ vestræ sobrie et sapienter advigilaveritis. Itaq; et Petrus, et Christus tanquam præstantissimum medium, præsentissimumq; remedium, ad hæc omna mala effugienda, sobrietatem vobis, et vigilias præscripserunt. *Estote* (inquit *Petrus*) *sobrij, et vigilate*. 1.Pe
Et, inimicus homo, (inquit Christus) *dũ homines illi agricolæ dormirẽt, zizania sua inter ipsorum triticum seminavit*. Et Paulus Mat
Post discensum meum (inquit) *ingressuri sunt Lupi graves, nõ parcẽtes gregi*. Ex quibus omnibus sic concludi potest: Si viri illi Christiani, ad quos scripserat Petrus, sobrij fuissẽt; si homines illi sõniculosi, qui bonũ semẽ in agro suo seminârunt, non dormiuissẽt; si Paulus ab Ephesijs suis nõ discessisset, sed cõtinuò apud eos resedisset, et remãsisset, certè nihil illis timẽdũ erat mali, omnia tutissima fuissẽt ab omni periculo, nullisq; vel lupis, vel leonibus vel inimicis hominibus exposita, aut illo modo obnoxia.

 Quam-

Quamobrē cũ Petro estote sobrij,& vigilate:cũ Christo cauete hominē illũ iuimicũ: cũ Paulo ne discedite ab Ephesijs vestris, quæ est ecclesia vestra,sed assiduè apud eã,aut saltē longè, diutiùs quàm soliti estis,residete,atq; remanete. Ita futurũ est,vt & gregis vestri,& vestri ipsorũ saluti, quàm optimè consu tũ fuerit.Gregis enim vestri salute, vestra salus continetur,& ex gregis vestri peste & ruina, vestra quoq; eruitur pestis & perditio: iuxta illud Ezechielis; *Si tuis admonitionibus conversus fuerit*
h.3. *homo peccator,à peccatis suis,*vt *vivat,liberasti animã tuã:sin tuo*
9. *silentio,aut tuâ negligentiâ obduruerit cor eius in peccatis suis ne convertatur,& tu illũ nõ admonuisti,ipse morietur in peccatis suis,sed eius sanguinē de tuis manibus requirã*, quoniã non monuisti illũ ne peccaret,atq; ita paritèr vterq; perituri estis. Hęc aut his similia apud Ezechielē.Quocirca videtis iã(fratres mei) quã vtile futurũ sit,& quàm salutare vobis omnibus,si huic Apostolicæ admonitioni ausculta veritis,salus vndiq; erit, perditio nulla timenda est. Atq; hæc tandē de tribus orationis meæ partibus, de admonitione Apostolica,de admonitionis ratione,& de eius vsu,atq; fructu. Nunc paucissimis perorabo.

Audivistis(fratres) quid vos hoc loco admoneat Apostolus: primùm vt attendatis gregi vestro, deinde vt pascatis ecclesiam Dei. Audiuistis eius rationes,cur oporteat vos attendere gregi vestro,& cur oporteat vos pascere ecclesiam Dei,primùm quia spiritus sanctus,vos huic gregi pręfecit,deinde quia christus suo sanguine hanc ecclesiã redemit. Audiuistis quomodo attendendũ sit gregi vestro,& quomodo pascenda sit ecclesia Dei, ita attēdendũ est gregi,vt bonis vestris cõsilijs, atq; auxilijs suffultus, & sustentatus,optimè valeat,& floreat,ita pascenda est ecclesia vt tribus illis modis,verbo,pane,& exemplo, bene saginentur oues Christi,& ad pios mores in hac vita,in vita futura,ad ęternæ vitæ fœlicitatē,pinguescant,accrescant,maturescant. Audiuistis deniq; de fructu,& emolumēto,quod ad vos omnes emanaturũ est,si attenderitis gregi vestro,si paveritis ecclesiã Dei,si

verbo,

verbo, si pane, si exemplo eã abundè (vt oportet) satiaueritis, seruabitis gregẽ vestrũ, & liberabitis animas vestras, quo nihil potest vnquã vel vtilius vobis evenire, vel iucundius. Quãobrẽ cũ tã seriò, & tã candidè hortetur vos Apostolus ad hoc munus vestrũ obeundũ, cũ tot tantisq; rationibus id à vobis cõtẽdere conetur, cũ tã vberẽ fructũ consequuturi sitis, ex hac Apostolica eius admonitione, modò illi vt debetis obtẽperaveritis, cum deniq; tota salus, totaq; vita vestra, & gregis vestri in hoc cardine potissimũ versetur, vt nisi sanum eius consiliũ amplexi fueritis, pereundũ sit vobis omnibus, quæso, tandẽ (fratres mei) cogitate vobiscũ, & altius in animis vestris reuoluite quid iã faciendũ sit. Mors, & vita, salus, & perditio, Cœlũ & Infernũ hic proponuntur, quid iã eligendũ erit? certè optio facilis est, nisi mori, potius quã viuere, perire potius quã seruari, ad inferos detrudi, potius quã ad Superos euehi, optabilius esse putetis, quod certè nullo modo putandum est. Et tamen id expectandum erit (nisi quod hortatur Apostolus) alacri, & lubenti animo præstiteritis. Et præstare quidem tanto lubentius debetis, quanto facilius præstrare potestis, si velitis. Nullo enim sudore, nullo labore opus est, præsentia vestra tota fere res agitur, & quemadmodum in Prouerbijs est, *oculus domini pascet equum*. Vos tantum adsitis ecclesiæ vestræ, licet omnia alia ferè desint, (quod nollem) fecistis tamen ferè omnia, oculi enim vestri pascent ecclesiã vestrã, desint alia quęcumq;. Quanquã quid opus est, vobis vllo modo ecclesiæ vestræ vel deesse, vel abesse, nisi statis diebus, statisque temporibus, cũ ecclesię vestræ statuta permittunt, & residentię vestræ ritus, & rationes non repugnant. Adsitis itaq; (fratres mei) adsitis, quæso, ecclesiæ vestræ, & semper illi adsitis, tũ corpore, tũ spiritu; Bifariam enim & aditur ad ecclesiam, & abitur, disceditúrq; ab ecclesia, corporaliter, & spiritualitèr, corporaliter, quando corpore adestis, & corporali pane, ecclesiæ vestræ ministros pascitis; spiritualiter, quando spiritu adestis, & Dei verbo, aut quocumq; alio spirituali cibo animas illorũ reficitis,

& refocillatos. Vos vtroq; modo adsitis, quæso, ecclesiæ vestræ, tam corporaliter quam spiritualiter, vel potiùs tribus illis pascẽdi generibus vtamini, (de quibus modo audivistis) verbo, pane, & exemplo, vt verbo animas, vt pane corpora, vt exemplo mores, vitasq; ministrorum vestrorum, ad Dei cultum, ad vestri obseruantiam, ad ipsorum salutem, ad ecclesiæ vestræ decus, & honorem alere atq; enutrire possitis. Id si feceritis, optimè feceritis, & id si feceritis, Deo placueritis, ecclesiæ profueritis, vobisipsis consulueritis; at id si non feceritis, Dei iram provocaueritis, ecclesiæ vestræ statum concusseritis, vosmetipsos perdideritis, atq; vt iterum, iterumq; dicam quod priùs à me dictum est, omnia ruant, omnia pessum eant, omnia sursum deorsum ferantur, omnia confundantur, omnia subuertantur, necesse est. Quod absit. Precor Deum optimum maximum, patrem Domini nostri Iesu Christi, & patrem omnium miserecordiarum, vt illuminet animos vestros, inflectatq; corda vestra, ad sinceram verbi sui obedientiam, seriamq; officij vestri considerationem, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & spiritu sancto Deus est laudandus in secula. *Amen.*

